

chrius, quam eosdem et magistros vitæ et testes habere. Quærendum est etiam in omni actu, quid personis, quid temporibus conveniat atque ætatibus, quid etiam singulorum ingenii sit accommodum. Saepe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni: aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Saltavit ante arcam Domini David <sup>1)</sup>, non saltavit Samuel. Nec ideo ille reprehensus, sed magis iste laudatus. Mutavit vultum coram rege, cui nomen Achis <sup>2)</sup>. At hoc si fecisset remota formidine, quominus cognosceretur, nequaquam levitatis reprehensione carere potuisset. Saul quoque vallatus choro Prophetarum, etiam ipse prophetavit: et de solo quasi indigno memoratum est: «Et Saul inter prophetas <sup>3)</sup>!»

#### OFFICIO CONGRUO QUEMQUE STUDERE DEBERE.

Unusquisque igitur suum ingenium noverit, et ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. Itaque quid sequatur, prius consideret. Non solum noverit bona sua, sed etiam vitia cognoscat: æqualemque se judicem sui præbeat, ut bonis intendat, vitia declinet. Alius distinguendæ lectioni aptior: alius psalmo gratior: alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet sacerdos, et quid cuique congruat, id officii deputet. Quo etenim unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id majore implet gratia. Sed id cum in omni vita difficile sit, tum in nostro actu difficillimum est. Amat enim unusquisque sequi vitam parentum. Denique plerique ad militiam feruntur quorum militaverunt parentes, alii ad actiones diversas. In ecclesiastico vero officio nihil rarius invenias, quam eum, qui sequatur institutum patris: vel quia graves deterrent actus, vel quia in lubrica ætate difficilior abstinentia: vel quia

1) 2 Reg. 6. 2) 1 Reg. 21. 3) Ibid.